

Potuissemus quidem existentiam Dei ut & attributa ejus omnia, quemadmodum Deo competunt, supponere. Sed vero Methodi gratia non potui non brevissime hic præmittere illa Dei attributa, quæ in sequentibus suppeditant ulteriori ejus, quod proposuimus, probationi principia. Non itaque animus est, attributa Dei, longa demonstrationis serie ex necessaria Dei existentia deducere, id quod censeretur merito opus superfluum. Sufficit ea brevissimis, quantum licet, attingere, quæ sequentibus exinde probandis inserviunt, quæ vero alibi prolixius sunt demonstrata. Lectori itaque Benevolo, Methodi amico, non displicebit, si præmiserimus principia, per se quidem jam satis nota & evicta, ad sequentia tamen demonstranda maxime necessaria.

§. 2.

Deus cum vi sua existat propria, adeoque rationem suæ existentia in nullo alio habeat (§. 1.); vi notonis Independentia, independens est. Et quoniam vi suæ essentia ita existit, ut non possit non existere; non potest habere existentia suæ vel initium vel finem, est itaque *Æternus*. Porro denique non potest esse *Ens compositum*, quoniam illud etiam potest non existere (per princip. Met.). Est itaque *Ens simplex*.

*Deus est
independens, æternus, atque
Ens Simplex.*

§. 3.

Omne *Ens finitum* est mutabile, & non existit necessario; Deus igitur est *Ens infinitum*, consequenter possidet omnes perfectiones compossibiles in gradu absolute summo, Ergo Deus est *Ens perfectissimum*.

*Deus est
Infinitus
adeoque
perfectissimus.*